DE HYDATIDE INGENTI MOLE PRAEDITA IN HEPATE MULIERIS REPERTA...

Giuseppe Maule



Sched. 4

DE HYDATIDE
INGENTI MOLE PRAEDITA
IN HEPATE MULIERIS

REPERTA

Dissertatio Inauguralis

QUAM

AD MEDICINAE HONORES RITE ASSEQUENDOS

PUBLICE PROPOSUIT

JOSEPH MAULE



PATAVII

TYPIS CARTALLIER

1836



PRAEFATIO

In tanta rerum medicarum varietate, quae typis commissae medicorum attentionem potissime attrahunt, non infimum sibi locum eae vindicant, quae de anatome pathologica disserunt. Quotidie opuscula publici juris facta hocce in argumento versantur: morborum historiae, autopsiam quoque aegrorum continent; dissectiones diligentissime in Nosocomiis instituuntur, summisque laudibus ii medici cumulantur, qui haud metu perculsi in illis etiam cadaveribus anatomicum cultrum injiciunt, quae contagioso morbo peremta in foedissimam saniem liquescunt.

Nec mirum est si hisce temporibus anatomiae pathologicae studium tam

ardenti amore colatur. Hujus enim scientiae auxilio plurimorum morborum indoles detecta fuit, quae jam a densissimis tenebris corripiebatur: ex organorum mechanica abnormitate certissimae causae mortis devinctae fuere, a qua illico aggressi nonnulli aegri perierunt. Nimia oratione uti deberem si tot utilitates ab hocce studio illatas enarrare vellem, et tantum dicam ex hoc, medicum, mortis causam haurire posse etiam in morbis, in quibus aegri debita medendi methodo pertractati nihilominus supremum diem debuerunt obire. Historia praesens, quam vestro judicio, subjicio, professores spectatissimi, satis superque meam assertionem confirmat. Hepatitis gravissima, quae necem aegrae attulit, atque insignes effectus pathologicos edidit, argumentum mihi suppeditavit ut historiam conscriberem, eanque pro dissertatione in lucem ederem.

Si mei tenuitatem ingenii considerans ab opere satis longo me abstinui, et tantum simplicem historiam exponere vobis curavi, jucundissima spe fretus fui, hoc munus exiguum a vestra benignitate non fore rejectum. Et ita mihi Dii magnam ingenii aciem concesserint, uti illam ad medicas disciplinas augendas impenderem! Hac vero deficiente, et cum aetas juvenilis, atque cognitionum penuria ab iis argumentis pertractandis prohibeant, quae meis equidem viribus nimis grave essent onus, satis contentus fuero si historiam nisi laude, venia tantum excipietis. Quaecunque vero de illa sit sententia, mente semper mihi erit repostum, quod jam celeberrimus Ludovicus Ariosto ediderat:

» Nè che poco vi dia da imputar sono
» Che quanto posso dar, tutto vi dono.

Anna Cromer, patria patavina, conditione famula, vigintinovem annos nata, mulier temperamento sanguineo, et sat firma corporis compage praedita, nullaque discrasia conquinata, die vigesima secunda martii anni praeterlapsi in clinicum advecta fuit; mihi vero commissa, illam Hepato-peritonitide, nec non pleuritide laborare dijudicavi. Et re quidem vera ad illum morbum hoc modo enunciandum consideratio nos duxit a symptomatum apparatu desumpta. Loquebantur enim de affectione Hepatis, tensio hypochondrii dexteri, calor summopere adauctus, intollerantia tactus, nec non dolor acutus, lancinans in illa regione. Clare evincebant affectionem peritonei, ac non modo portionis haepatis superficiem externam vestientis, sed et reliqua quoque intolerantia; nempe tactus in caeteris partibus abdominis, tensio quaedam in illo exorta, dolores vagantes, ac dein vomiturutiones, vomitus, alvi obstipatio, quae peritonitidem comitari solent. Dolor qui in latus dexterum thoracis constanter perdurabat, ac aliquando punctorius

fiebat, pleuram quoque dexteram inflammatam esse ostendebat. Opinio haec confirmabatur a difficultate respirationis, ab aegophonia, quae praesertim in latere posteriori dexteri thoracis exaudiebatur. Character morbi inflammatorius per febrim quinque diebus perdurantem, per vultus accensionem, per sitim ac thermogenesim adauctam, per urinas flammeas, per pulsus suppressos, frequentes ac contractos clare demonstrabatur. Tria itaque viscera ab inflammatione peritonae prehensa esse, nempe hepar, peritonaeum et cum pleuram dexteram statuimus. Diaphragma vero, et pulmonem dexterum affectione illa omnino carere haud dubitavimus, quanquam diaphragmitis, et vere pneumonitis pathognomonica signa deessent, atque hoc ex interpositione et contiguitate cum visceribus inflammatis eruebatur.

Causas vero recensentes, quae morbum illum adeo complicatum producere valuerunt, laboriosum vitae genus, nec non abusus potuum spirituosorum, quibus summopere aegra indulgebat antea jam memoravimus. Tamen cum hepatitis a causis internis saepe originem ducat, de hisce quoque mentionem fecimus, ac de bilis acrimonia et quantitate adaucta, de calculis felleis, de vermibus hepaticis, nec non de caeteris causis quae hepatitidem fovent loqui non praetermisimus. Hisce addebamus majorem receptivitatem pro stimulis, quam hepati relinquerat altera in-

flammatio quinque ante annos perpessa. Colligere autem ex aegrae parentibus potuimus, quod effata hepatitis, tensionem quandam illius abdomini relinquerat, ac dolorem ad hypochondrium dexterum, ad quem sedandum, diu noctuque latera stricto cingulo praecincta gerebat; et aegra forsan a vi morhi fracta haec minime recordari potuit. Morhum acutum, ac valde complicatum pertractantes, reservatam prognosim pronunciandam, et ad curam animo converso, methodo antiphlogistica, et quidem energica opus esse statuimus.

Quare primum ad sanguinis depletiones generales confugimus, quas quinquies, uti res postulabat, repetivimus, ita ut quinquaginta sanguinis unciae per venae sectiones evacuerentur, cum jam totidem extractae fuissent antequam in clicum advecta fuerit; ac centum trigintaquinque hirudines pluribus vicibus adplicitae fuerunt hypochondrio dextero, eidenque quotidie fere cataplasma emolliens appositum. Quotidie quoque ad systematis cutanei functionem sollicitandam, ac resolutionem morhi hoc modo promovendam, decoctum graminis cum tartaro stibiato refracta dosi dedimus. Ab initio usque ad finem fere morhi quotidie quoque aquam coohatam lauro cerasi ministravimus, cujus sexdecim circiter drachmas consumpsit. Hisce consociavimus usum pulverum alterantium Plumerii, quae secties re-

petitae sunt: et cum cordis palpitationes multum aegram vexarent, infusum ex vigintiquinque granis foliorum digitalis purpureae interdum cum acetate lixivae conjunctum septies propinatum fuit. Pariter scopo antiphlogistico, bis acidum elixirium Halleri ad drachmas duas propinabatur. Cum vero nihilominna magis magisque in diem dolor, ac tumor ad regionem hepatis increrescerent, frictiones illibi pluries peractae sunt cum pomata neapolitana, et extracto digitalis purpureae. Mirabamnr summopere quod istiusmodi generosissima methodus antiphlogistica inflammationem illam compescere non valeret.

Verum ultimis curae diebus tumor ad hypochondrium incepit fluctuans persentiri, horripilationes, et sudores profusi pluries apparuerunt: urina sedimentum dedit puriforme, et pulsus erant intermittentes, valde molles, ac depressi. Tum sex cucurbitulas, unam post aliam successive absque ulla scarificatione adplicavimus. Cum res ita procederet, die septima mensis aprilis, curae decima saptima, facies aegrae cadaverica, oculi obnubilati, respiratio orthopnoica, sudores frigidi comparuerunt. Tum prognosim infanstam constituimus, et revera circa meridiem aegra vehamanti orthoponoea prebenditur, de doloribus intolerabilibus ad hepar conqueritur, fortes mittit exclamationes, ac demum manu dolens latus comprimens occumbit. Die subsequa, hora

decima antimeridiana sectio cadaveris instituta fuit, et sequentia reperta.

AUTOPSIA.

Adspectus exterior cadaveris — Tota cutis superficies valde albicans, et quidem tumidula apparet; facies in expressionem doloris informata; rigiditas cadaverica tum in extremitatibus superioribus, tum inferioribus, tum in maxillis: effusio levis seri observabatur in textu cellulari subcutaneo.

Sectio cranii. — Membranae cerebrum obvolventes, pia mater praesertim, sanguine injectae.

Sectio thoracis — Diaphragma ob volumen hepatis sursum allatum erat usque ad secundam circiter costam; pulmones idcirco compressi, et columnae praesertim vertebrali applicati. In cavitate thoracica dextera unciae octo circiter seri quidpiam densi observabantur. Pulmo dexter in partibus inferioribus sanguine aliquantum turgebat; et superior, et exterior illius color rubrolividus. Nil morbosi in praecordiis. Pleura pulmonem dexterum obvolvens sanguine injecta videbatur.

Sectio abdominis — In cavo abdominis tres librae fluidi transparentis, aliquantum viridescentis continebantur. Patens erat injectio sanguinis quoque in peritonaeo. Hepar diaphragmati per

longas habenulas connectebatur; pars dextera illius visceris parietibus abdominalibus nectitur. Hepar ad illud volumen pervenerat, ut hypochondrii dexteri regionem, epigastrii, et etiam hypochondrii sinistri occuparet: color partis dexterae est albicans, huc illuc membranis novae formationis obductum, maxima ex parte albicantibus, vel levi gradu rubris. Tumor aderat in superficie convexa hepatis, qui usque ad ejus limbum inferiorem extendebatur: depressus erat in medio ita, ut duorum tumorum figuram praeberet. Volumen ipsius caput pueri adaequabat, ac fluctuans erat. Pondus hepatis hoc in statu ad libras undecim pervenerat. Tumore fluctuante aperto, copiosam quantitatem fluidi serosi flavescentia effudit, quod continebatur a membrana albicante, sacci omnino clausi formam referente, consistentiae mollioris, quae dividi poterat in pluribus stratis, quorum externus sanguiferis vasibus, oculo etiam nudo visibilibus, efformabatur. Stratus internus formam membranae tum mucosae, tum serosae manifestabat. Cystis haec stricte cum hepate adhaesa, illius parenchyma longa compressione deprimebat. Ex hepate babenulae elongabantur magnitudinis dimidii calami scriptorii, quas pro vasculis sectio, et attenta observatio manifestavit. Illae diramationes sanguiferae a vena porta oriebantur. Substantia hepatis coloris magis flavicantis, consistentiae du-

rioris, firmioris, in partibus inferioribus punctulis rubris signata. Parietes cistifeleae aliquantum incrassatae, parcam quantitatem fluidi magis ad indolem muci, quam bilis accedentis continebant. Substantia hepatis, cystide admota, ponderis erat quinque librarum circiter, et quatuor unciarum cum sacco externo: caeterum ponderis quod ad complendas undecim libras deficit, fluido effuso tribuendum. Diaphragma in involucro suo peritonaeali inflammationem per totam extensionem ope pseudo-membranarum manifestabat. Lien per membranas novae formationis partibus circumambientibus adhaerebat. Vascula sanguifera in involucro peritonaeali abdominis contenta magis evoluta erant. Inferior superficies intestini tenuis bile est obducta intense flava Interna superficies intestinorum crassorum materiem continet magis viridescentem, et injectionem mucosam, sub forma arborisationis manifestae. Levis quantitas seri observabatur collecta in cellulari subcutaneo extremitatum inferiorum.

IN AUTOPSIAM ANIMADVERSIO.

Diagnosim nostram ab iis, quae in cadavere inventa sunt, confirmatam fuisse nemo in dubium revocare potest Diximus enim inflammationе praebendi et hepar, et peritonaeum, et pleuram. Membranae novae formationis obtegentas su-

perficiem externam hepatis, babenulae, quae ex eodem emittebantur, qua nil aliud esse nisi continuationes vasorum a vena porta provenientibus attenta observatio manifestavit. Substantia hepatis coloris flavicantis, consistentiae durioris, firmioris, in partibus inferioribus punctis rubris conspersa, ac in volumine adaucta, viscus illud vehementi inflammatione laborasse demonstrat. Nam per hanc solummodo transformatio materiei organicae exoritur, et ab hac tantum pseudomembranae originem repetunt. Idem quoque dicendum de peritonaeo, quod hepati stricte adhaerebat, cujusque vasa sanguifera valde injecta videbantur; idemque asserere possumus de pleura, cujus vasa eodem statu, ac illa peritonaei inveniebantur. Pariter praeter hepatitidem, phrenitis quoque, et inflammatio pulmonis dexteri, quas in statuenda diagnosi exarabamus, confirmatae fuerunt; nam et diaphragma, et lobus inferior pulmonis dexteri signa perpessae inflammationis praeseferebant. Ab Hydatide in superficie externa hepatis inventa, causa complicatae inflammationis, repetenda mihi videtur. Nam illa corporis extranei officium praestabat; perturbationem praeterea in systemate circulatorio, et respirationis, et hepati ipso pressionem continuam inferrebat, undenam effectum est, quod et generosis sanguinis evacuationibus, et fortioribus remediis antiphlogisticis inflammatio resisteret. Neque ullo modo obtundi

poterat, nisi prios causa amota fuisset. Haec autem quando etiam cognosci possit, quod certe summopere difficile est, amoveri non debet: nam illius evacustio per incisionem externe peractam, uti unanimi consensu omnes monent auctores, necem accelerat. Verum si semper dictum fuit, quod hydatides perfecte simulant aliquando inflammationem, aliquando abscessum hepatis, hoc praesertim vidimus in casu nostro, quo cum revera adesset inflammatio, huic postarius omnia symptomata, quae suppurationem hepatis comitari solent, consociabantur.

DE HYDATIDE.

Nomine Hydatidis saeculo praeterlapso vermes vesiculares, tumoresque cystici donabantur. Accuratae Hartmanni, et Tysonii observationes apprime hydatidum vitam detexerunt. Ac inde Linnaeus easdem posuit inter zoophita in genere Thaenia. Per aliquod temporis spatium classificatio haec retenta fuit a celeberrimis Blok, Verner, et aliis; tandem Zeder, Rudolphi, Sultzer, et Laennec quinque genera de illis efformarunt, nempe:

1.° Acephalocystidum, in quibus nulla adest distinctio inter caput, et corpus (Laennec).

2.° Cisticercarum, in quibus corpus est quasi cylindricum, vel aliquantum compressum, rugo-

sum, finiens cum vesicula caudali ab uno latere, et ab alio cum capite, cujus basis praedita est quatuor papillis ad auctionem datis (Rudolphi).

3.° Ditrachicerorum, in quibus corpus est ovale, compressum, involutum in tunica quadam laxa, et finitum a capite, quod a duobus appendicibus operitur, et ruvidis setis (Sultzer).

4.° Echinococorum, qui una tantum vesica caudali multis corporibus communi, et sola corona uncorum, absque papillis exsugentibus constituuntur (Rudolphi).

5.° Polycephalorum, quorum corpus est oblongum, cilindricum, rugosum, a vesica pluribus individuis communi terminatum, cujus caput papillis exsugentibus, et duobus coronis uncorum praeditum est (Zeder).

Hydatis nostra, quae absque capite, et cauda inveniebatur, ad Acephalocystides spectare clare patet, nempe ad genus illud a Laennecbio descriptum. Quomodo sese efformaverit corpus illud vita donatum inter hepar, et peritonaeum, arduum inquirere est. Nec explicari potest, nisi per generationem equivocam, cui forsam impulsum hepatitis quinque ante annos perpessa praestavit. Opinio quorundam, quae hydatides producta inflammationis esse vult, omnino fallax; nam inflammationi non competit vitam corporibus donare, et sola facultate modificandi materiem organicam praedita est: cumque nemo dare possit,

quod non habet, minime credandum, quod ab inflammatione hydatides originem ducant. Tantum inflammatio, uti superius dixi, potest esse causa occasionalis evolutionem earundem determinans. Hydatis in Anna Cromer ante quinque annos originem duxerat, vitam propriam vixit in ejusdem organismo, ac in diam increvit ad gradum illum, quo proprio volumine laethalia phaenomena tulit.

Ab observatione decursus morbi bujusce, duae praecipue considerationes deduci possunt nempe: 1.ª Hepatis hydatis inflammationem visceris ejusdem inferens, propria fluctuatione ita perfecte simulare potest hepatis suppurationem, ut difficillimum sit de ipsius praesentia, vel de hepatis suppuratione judicium,ferre. 2.ª Per Hydatidem, in hepate existentem, morbus incurabilis constituitur, et ipsius evacuatio per incisionem externam peracta mortem accelerat.

EPICRISIS.

Hisce igitur de Hydatide expositis, praestat nunc nonnulla verba de conditione pathologica dicere, quae ad Hydatides promovendas maximum influxum exserit. Quam disquisitionem aggrediens haud parva praemii difficultate argumentum videtur. Pathologi enim inter se adhuc certant de causa proxima hydatidum, et dum

nonnulli a phlogosi illam repetunt, alii e contra a prava nutritione evincunt. Medici Galli intar quos quidem Roche, et Sanson haud infimum tenent locum, in ea sunt sententia, ut Hydatidum originem ab organi irritatione dependers existiment in quo enascuntur.

Videndum attamen est an haec idea veritati ita respondeat ut admitti debeat. Irritatio in se ipsa considerata nil aliud exprimit, nisi aliquod ens quod organo adplicitum illud lacessit, atque ad inflammationem disponit. Inflammatio vero confundi ne poterit cum simplici irritatione sicuti praedicant Roche, et Sanson, caeterique illiua systematis sectatores? Nobis quidem hnic sententiae accedare haud videtur. Nemo inficiabitur procul dubio inflammationem e simplici irritatione longe distare, et quisquis inflammationis naturam respiciat, de hac veritate certior evadit. Vera phlogosis jam novos productus in organo edit in quo exardescit, nec cessat donec methodo antiphlogistica energica cohibeatur. Irritatio e contra eo usque perdurat quo causa irritans adest, et illico evanescit statim ac illa abigitur.

Organa inflammatione deprehensa etiam si ad pristinum valetudinem restituantur, nunquam, vel fere nunquam ita componuntur, ut perfecte functiones exerant. Irritatio fibras alicujus organi laedens affluxum majorem sanguinis ibidem pro-

vocat, sed hoc non sufficit ad desorganisationes efficiendas, quae in vera inflammatione contingere solent. Hocce in casu unum tantum elementum phlogoseos habebimus juxta eximii Bufalini sententiam, tum caetera nempe plastaussia, atque angiocinesis omnino absunt.

Hisce breviter characteribus enumeratis, atque discrimine notato quod inter irritationem, ac veram phlogosim interest ex se clare patet hydatidem originem ab irritatione haud dependere. Inflammatio igitur erit ne vera earundem causa? Si inflammationis indoles in conspectum venit, quae ad novos productus fovendos inservit, existimaretur hydatides quoque a phlogosi originem trahere. Suppositio haec est quam facte omnino redarguunt. Saepissime enim hepatitis locum habuit, et secto cadavere nulla Hydatis reperta fuit, dum e contra hi productus apparuerunt absque ulla phlogoseos nota praegressa. Hoc quid significat? Nil aliud certe, nisi ab alio processu morbifero hasce productiones procedere. Nec certe a lenta, atque obscuriore inflammatione repetere illas fas erit, cum hujusce symptomata omnino absint, nec palam jam facta sint. Quaenam igitur rationi magis consona causa proxima erit Hydatidum?

Ad hanc quaestionem solvendam causis est diligenter attendendum, quae ad promovendas cystes influxum quam maximum exerunt, inter

quas praecipuum sibi locum vindicant lapsus, nec non ictus in hypochondrio dextero illatus. Hisce praemissis sat clare phaenomeni ratio explicatur. Dispositiones enim praeeunt in illo organo ad molem augendam, atque ibidem majori sanguinis quantitate, quam par est collecta, distensio membranarum oritur, atque lenta vasorum efformatio quae paulatim in habenulas membranaceas concrescunt, atque rudimentum organicum porrigunt.

Hoc efformato, organum novum instituitur, quod paulatim increscens, atque molem acquirens, proxima viscera mechanice laedit. Sanguinis circuitum perturbat, talique pacto lentas nec non rebelles phlogoses edit. Nec mirum mihi videtur, quod haec inflammatio tam cito finem absolvat. Hydatis enim mole sua thoracis cavum magis angustum redit, talique pacto respirationem retardat, atque omnino impedit. Phlogosis vero hepatis secundaria dici debebit, et effectus Hydatidis erit consideranda. Hoc modo sat clare phaenomenon explicatur, nullaque hypothesi superstruitur. Haec igitur considerandi ratio quoad Hydatidum efformationem illa erit, quam retinebimus, quia et tuto fundamento innititur, nullamque hypothesim continet.

THESES DEFENDENDAE

I.

In convulsionibus infantum melius est curare nutricem quam infantem.

II.

Hepar non tam ad bilis separationem inservit, quam etiam ad sanguinis massam dephlogisticandam.

III.

Nervorum cerebralium officium, ab officio illorum ganglionicorum satis distat.

IV.

Divisio morborum in hyposthenicos, atque hypersthenicos a nonnullis pathologis haud admittitur.

V.

In morbis dignoscendis ad symptomatum complexum quam maxime attendere oportet.

VI.

Aurum inter metalla difficiliter oxydationem subit.

VII.

Difficillime veneficium abigitur cum in corpus humanum proprios effectus exeruit.

VIII.

Venae sectio in peripneumonia ita dicta notha quam maxime damnanda.

IX

Amaurosis nunquam, vel fere nunquam sanatur cum retinae abnormitate dependeat.

X.

Arsenicum, ejusque praeparata damnum potius, quam levamen aegris attulerunt.

XI.

Aër siccus, atque frigidus quam maxime inflammationibus favet.

XII.

Febres perniciosae nunquam sanatae fuerunt, nisi chinae subministratione.